

## BACCHUS ET PIRATAE

*'Twas Bacchus and his kin !  
Like to a moving vintage down they came,  
Crown'd with green leaves, and faces all on flame ;  
All madly dancing through the pleasant valley,  
To scare thee, Melancholy !*

KEATS.

## XIX

INTER deōs Rōmānōs agricolae nōn sōlum Cererem sed Bacchum quoque adōrābant et in summō honōre habēbant. Bacchus enim vīnum hominibus dedit et multās artēs docuit. Ad Bacchī ārās agricolae dōna multa, et in prīmīs ūvās vīnumque iūcundum, ferēbant, et ārās flōribus laetīs pampinīisque ornābant. Deus igitur vītēs Ītalicās cūrābat, et ā periculō dēfendēbat. Formōsus erat Deus, et, quod vītēs amābat, capillōs suōs pampinīs saepe ornābat. Nec Ītalōs Graecōsque sōlum docēbat, sed ad longinquās terrās nāvigābat, aliīsque gentibus vīnum dābat, artēsque rusticās docēbat.

19

Deus, ubi trans mare Aegaeum quondam nāvigābat, ad insulam parvam nāvem gubernāvit, et errōribus longīs fessus, sē in ūrā maritimā prostrāvit et somnō placidō corpus animumque recreābat. Mox autem pīrātae quoque, malī hominēs, nāvem ad insulam impulērunt. Ubi iuvenem formōsum in ūrā vīdērunt, tum vērō magnō gaudiō, “Ecce !” inquiunt, “nōn sine praedā ad patriam nostram nāvigābimus. Hominem raptābimus et in nāvem furtim impōnēmus, tum cito cum captīvō ad Āfricam nāvem impellēmus. Āfricae īcolae servōs dēsiderant, et pecūniā multā nobīs dābunt, si nōs iuvenem tam pulchrum trādiderimus.” Tum pīrātae, malī ignāvīque hominēs, deum raptāvērunt et in nāvem imposuērunt ; nec tamen iuvenem fessum ē somnō excitāvērunt.

## XXI

Ubi autem Bacchus ē somnō sē excitāvit, et undās caeruleās undique vīdit, tum nec īrātus nec perterritus, “Nōn ego,” inquit, “stultōs ignāvōsque timeo ; mox tamen pīrātae nūmen meum vidēbunt et vehementer timēbunt.” Tum ē mediā nāve vītis flōrebant et in altum ascendēbat. ē

## XX

vīte rāmī, ē rāmīs pampinī flōrēbant, et dē summīs rāmīs ūvae purpureae pendēbant. Nōn iam candida erant vēla, sed lūce purpureā fulgēbant.

Ubi nautae vītem mīram in mediā nāve vīdērunt, tum magnō timōre Deum spectāvērunt; capillī in capitibus horruērunt. Subitō ex undīs tigrēs leōnēsque saevī in nāvem ascendērunt et in nautās perterritōs cucurrērunt. Pīratae, terrōris plēnī, ē nāve in mare sē prostrāvērunt. Deinde Iuppiter propter misericordiam hominēs in delphīnās convertit. Intereā Neptūnus vēla purpurea ventīs secundīs implēvit, et sōlus sub vītium umbrā Bacchus ad terrās longinquās nāvigāvit.